

*Constituens eum ad dexteram suam in cælestibus.*

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli  
ad Ephésios

1, 17-23

**F**ratres:

- <sup>17</sup> **D**eus Dómini nostri Iesu Christi, Pater glóriæ,  
det vobis Spíritum sapiéntiæ et revelatiónis  
in agnitíone eius,  
<sup>18</sup> illuminátos óculos cordis vestri,  
ut sciátis quæ sit spes vocatiónis eius,  
quæ divítiæ glóriæ hereditátis eius in sanctis,  
<sup>19</sup> et quæ sit superéminens magnitúdo virtútis eius  
in nos, qui crédimus,  
secúndum operatiónem poténtiæ virtútis eius,  
<sup>20</sup> quam operátus est in Christo,  
súscitans illum a mórtuis  
et constítuens ad délixteram suam in cæléstibus  
<sup>21</sup> supra omnem principátum  
et potestátem  
et virtútem  
et dominatiónem  
et omne nomen quod nominátur  
non solum in hoc sæculo sed et in futúro;  
<sup>22</sup> et ómnia subiécit sub pédibus eius,  
et ipsum dedit caput supra ómnia ecclésiæ,  
<sup>23</sup> quæ est corpus ipsíus,  
plenitúdo eius, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

Verbum Dómini.